

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

Châteillon, Sébastien

Francofurti, 1761

VD18 12886300

Boozvs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18303

cui humabor: ita omnino statui. Atque ita mihi habeam Jovam propitium, ut b) una mors sit me a te separatura. N. Postquam ita animum obfirmasti, nolo improbius obsistere tuo studio. Eamus, sane, Deo bene fortunante.

SENTENTIA,

Beati, qui Deum, Deique populum anteponunt & parentibus & patriæ, eos Deus large remunerabitur.

BOOZVS Ruth. 2.

ARGUMENTVM,

Boozus comiter alloquitur Rutham spicas legentem, ejusque pietatem collaudat.

Boozus, Messores, Curator messis, Rutha.

A dicit vobis Deus, Messores. M. Et tibi bene omnia secundet. B. Quæ est ista puella, Curator, quam hic video spicas legere? C. Moabitis est, quæ huc sequuta est Noemen, remigrantem ex agro Moabitarum. Ea rogavit, ut liceret sibi legere spicas post messores: id quod adhuc fecit a mane, tam paulum manet domi. B. a) Audi filia, ne iveris in agrum alium ad colligendas spicas, neve hinc abieris: sed haereto apud meas ancillas, & videto ut sequareas eas in quemcunque agrum ibunt messum. Ego yetabo, ne famuli sint tibi molesti. Quod si fities petes po-

E 3

tum

b) Nihil nisi mors.

a) Animadvertenda imitandaque Boozi humanitas: & mox Ruthæ summissio.



70 DIALOG. SACRORVM

tum ex iisdem vasis, quibus ipsi hauriunt. *R.* Quidnam est in me, quamobrem digneris ita respicere me, cum sim peregrina? *B.* Perlatum est ad me, qualem tu te praefliteris erga tuam sororum post obitum viri tui; utque relicto utroque parente, terraque patria, contuleris te ad populum tibi antea ignotum. Quod factum Jova Deus Israëlitarum rependet tibi cumulatissimo præmio, sub cuius quasi alarum præsidium tu te receperis. *R.* Agnosco tuam gratuitam benignitatem & misericordiam, qui tam comiter confirmes animum meum consolando: cum tamen indigna sim, quæ vel in ancillarum tuarum numerum veniam.

SENTENTIA.

Pii favent pii, eisque benefaciunt.

DISCALCEATVS. Ruth. 4.

ARGUMENTVM.

Boozus, reculante altero propinquo, emit bona Noemis, Ruthamque dicit uxorem.

Boozus, Propinquus Ruthæ, Senatores.

Heus tu, qui hac transis, adesdum, paucis te volo. *P.* Quid nam id est? *B.* Consiste hic paulisper, dum evoco aliquot de senatoribus civitatis, ^{a)} qui transeunt per hanc portam, ut adsint nobis in hoc negotio: nam seria res est egetque testibus. Heus vos senatores, quæso vos, ut accommodetis lucis nobis aliquantisper vestram ope-

^{a)} In portis urbium erant curiae.

